Oratio ex Harveii instituto habita in aedibus Collegii Regalis Medicorum Londinensis, A.D. MDCCCXXXIX / [P. Mere Latham].

Contributors

Latham, P. M. 1789-1875.

Publication/Creation

Londini : A. Spottiswoode, [1839?]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/jgd86sce


License and attribution


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org









ORATIO

64-0.

EX HARVEII INSTITUTO

HABITA IN ÆDIBUS


COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS,

A.D. MDCCCXXXIX.

A PETRO MERE LATHAM, M.D.

REGINÆ MEDICO EXTRAORDINARIO.

LONDINI: EXCUDIT A. SPOTTISWOODE, New-street-square.



HENRICO HALFORD,

1

PRÆSIDI,

SOCHSQUE COLLEGH REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS,

ORATIONEM HARVEIANAM

D. D. D.

PETRUS MERE LATHAM.

Digitized by the Internet Archive in 2016

https://archive.org/details/b22015061

ORATIO HARVEIANA.

NE mirum vobis videatur, Auditores, me demandatum hoc mihi officium libenter suscepisse. Haud eram nescius quam in me esset mediocris dicendi usus, et ingenium impar vestræ voluntati et meæ. Cum tamen putarem hoc oratorium meum munus potissimum postulare, ut annales vestros respicerem, et ab iis deligerem quos præcipue viros admirati estis et quorum memoria vestris semper inhærescit mentibus, tum probe intellexi minime vos vel allici oportere vel admoneri verbis; quoniam ipsis rebus datur aliquando dicendi quasi potestas quædam, et sua vis admonitionis inest in exemplis.

Ii mihi videntur fortunate vixisse, quibus contigit et suæ frui laude sapientiæ, et fundatoribus esse bene moratæ cujusdam familiæ, in quâ artes, quas ipsi ingenuas et coluerint et amaverint, coli et amari possent ab aliis, et exinde perpetua superesset avitæ virtutis memoria et æmulatio.

Vestræ domûs atque familiæ habetis auctores Linacrum et Caium. Linacro inerat adhuc juveni insatiabilis quædam cupiditas verum videndi, et amor literarum jam tum renascentium pene infinitus. Erat tunc sola humaniorum artium et mater et nutrix et servatrix Italia. Eo se contulit Linacrus, ut studia ista, quibus domi ardebat tantum, in beatiore solo coleret vehementius. Illum omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione et hospitio dignum existimabant. Romæ Hermolaum Barbarum audiebat, Florentiæ Angelum Politianum. Laurentium magnificum, et totam Medicæorum domum devinctam sibi consuetudine tenebat. Cum Laurentii filiis vivebat condiscipulus, alteri eorum præcipue jucundus, Johanni, mox, sub alio et nobiliori nomine, salutando principum et pontificum Romanorum maximo.

Tum demum quicquid artium humaniorum et Græcarum literarum secum domum deportavit, omne illud suæ academiæ prudenter et auspicato statim demandavit gremio; quod ne quidem mutato cœlo degenerâsse confitemur, sed potius amœnitate loci in uberiores fructus accrevisse.

Nec profecto illis temporibus fuit inter medicos unus excellens Linacrus. Tametsi jure licet mirari eâdem fere vel proximâ ætate similem illi alterum exstitisse. Iisdem scilicet quorum ille fuerat appetentissimus studiis, eâdem quâ usus erat disciplinâ, iisdem fere ipsis quæ inviserat locis, unde in Patriam reverterat literarum quasi onustus spoliis, Caium Linacri habemus imitatorem et æmulum. Erat utrique par ingenium, similis fortuna, æqualis gloria.

Pisam venit Caius et Florentiam. Patavii loco professoris potitus et cathedrâ Andream Vesalium habuit familiarissimum suum et contubernalem. Una ambo studia sua anatomica conferebant socii et consortes operum, et describendo et depingendo et corrigendo.

Quanto labore Caius exquireret, et quanti jam tum in exquirendo existimaret anatomiam, intelligere possumus ab ipso profitente, se quasdam partes corporis penicillo describendas curaturum fuisse, nisi id laudis et officii Vesalius præoccupasset.

Si qui hic maligne quærant, cur tantopere respiciamus spatia præteriti temporis, et cur Linacri et Caii nominibus etiamnum oblectemur; isti profecto, quantum de vobis, de patriâ, et toto genere humano ambos meruisse prorsus non intelligunt.

His nimirum præcipue erat in votis, ut medicina, quâ in exercendâ ipsi suam propriam laudem posuerunt, cum cæteris artibus antecellere videretur utilitatis specie, illas etiam humanitatis et ingenii gloriâ adæquaret. Nec putabant ullo modo se posse melius patriæ et posteris consulere, quam jacentem illam

в 2

erigendo, et iis quibus decuit honoribus amplificando.

Quare vos in societatem conjungi, et civitate donari, et legibus defendi voluêrunt. Et quod efficere non potuerint legibus et institutis, id melius et præclarius docuerunt hortatu et exemplo; scilicet omnium rerum quæ sunt a sapientissimis honorifice habitæ nihil a medico alienum esse; medico literas ancillis et scientias adjutricibus esse oportere; atque id porro summi esse medici, in aliâ quâcunque liberali disciplinâ eatenus versari, ut ab illâ nunquam non possit locupletare, si liceat, suam.

Neque hos delituit prudentissimos viros, medicinam, unde illam ipsi auspicato erexerant, in eandem posse relabi rem humilemque fortunam. Quod ne accideret magnopere præcavendum sibi Caius existimavit. Ideoque apud suos Cantabrigienses sedes et domicilia fundavit, ubi qui sese institui vellent ad medendum, prius se præberent fingendos literarum studiis et liberalium virorum consuetudine.

Ab illâ ipsâ Caii domo et disciplinâ processit Harveius. Illum equidem nescio in quâ vel populari trutinâ vel in staterâ aurificis possim expendere. Laudare plane non audeo. Quippe cum de summorum virorum ingeniis et virtutibus agitur, cavenda est et in judicando quædam temeritas et in laudando ineptia. Is est, qui coram majoribus vestris nullâ probabili argumentatione, sed ratione necessariâ et experimentis enunciavit, patefecit, demonstravit, sanguinem circuitu moveri, et vitam ipsam a sanguine exordium et materiem ducere. Is est, qui fuit inter medicos philosophorum princeps, et sensuum consuetudini mentis aciem primus subjecit. Nam quâ solâ ratione universam posse in telligi naturam docuerat Verulamus, eandem ad illam ejus partem, quam vocant physiologiam, primus transtulit Harveius; et in eâ primus bene exploratæ naturæ specimen dedit, et posteris reliquit.

Proculdubio, illud Harveii repertum in se intus inclusit semen atque initium veræ physiologiæ. Haud cito tamen proprios fructus edidit, sed diu quasi humo conditum fuit, priusquam in ubertatem exiit.

Eâ incedebant viâ in quâ Harveii primum fuerant impressa vestigia, Glissonus, Lowerus, Willisius, Tysonus.

Ad illos paulisper animum convertatis velim, ut cognoscatis non modo eorum scripta atque inventa, sed etiam gradus et quasi processus discendi et exquirendi verum, et cum sapientissimis, qui tunc fuerunt, loquendi et audiendi commercia. Ii enim probe intellexerunt omnium liberalium studiorum quisnam esset inter se communis nexus, quænam necessitudo, et quomodo ipsi possent tum Harveii exemplo cum aliorum philosophorum familiaritate salutariter uti, et colloquio adjuvari et consiliis.

Nam tum primum se erexit Philosophia, et, nascente jam Regiâ Societate, ad se statim a cersivit, convocavitque scientiarum studiosos omnes quasi in nobile quoddam gymnasium; et curavit quotquot res novæ aut memoratu dignæ indies invenirentur, easdem dari monumentis et custodiri literis, ut ne vel una peritura sit, cujus oblivisci nollent posteri.

Vestri adeo antecessores Philosophiæ quasi incunabulis affuerunt, sicut vos maturitati ejus et adestis et favetis. Id enim jure concedendum medicis puto, quod non modo in scientiis ad sua pertinentibus optimi semper, verum etiam et fautores et amplificatores fuerint scientiarum in omni genere.

Hi profecto Harveii sectatores et æmuli fuêrunt, et habendi vere physiologici. Multa et præclara de partium structurâ et officiis ab iis erant perspecta et inventa, quibus ipsi quemadmodum ad naturas morborum explicandas uterentur, non reperiebant. Pathologiam inchoabant tantum; nihil amplius.

Hucusque nequaquam satis compertum est, aut quibus elementis, quâve materie, quove opere intrinsecus elaborato Natura morbos efficeret. Quare tum auspicato prodiit Sydenhamus vester, mirifice explorans, quanti essent vel res externæ et in medio positæ, et quanta illis cura danda esset et impendenda, ut morborum, quorum natura adhuc delituit, casus tamen et eventus omnino non temere judicarentur. Ille præterea sedulo aucupatus est inclinationes rerum et momenta temporum, et instituit quomodo his quoque inserviendum esset ut medendi ratio et medicamentorum usus felix faustusque eveniret.

Haud usitatum fuit Sydenhamo (ut hodie mos est) centenos ægros nominatim designare, atque eosdem casus et eventus centies describere, et rem ipsam opprimere et obscurare documentis nescio quam innumerabilibus; quippe qui nec in singulis historiis nec in popularium morborum narrationibus putaret omnia includi debere, sive graviora sive leviora. Sed propositum suum unice respiciens ex infinitâ exemplorum copiâ scite et consulto elegit quotquot essent ad illud illustrandum aptissima. Illum feliciter potius dixeris quam curiose depingere, et rem omnem ita ante oculos ponere, ut, quod scitu dignum sit, perinde a nobis intelligatur ac si ipsi interessemus et præsentes videremus.

Utinam in Sydenhamo talis mens ad bene philosophandum fuisset, quale ingenium ad bene agendum fuit. Fama ejus gloriosior fuisset et exemplar posteris commendatius. Putabat enim omnino pendere Medicinam e nudâ observatione rerum quæ prodesse soleant vivis vel obesse, et nullius egere disciplinæ quâ perfecta fieret et absoluta, nisi ut ægrotantium lectis assideret medicus, et morborum signa et remediorum usus attenderet. Ipsam Anatomiam, utpote medicis omnino alienam et inutilem, pictoribus relegandam putabat. Quare nullus dubito, quin Sydenhami auctoritas moram etiam atque impedimentum intulerit iis studiis, e quibus tanta et tam præclara adjumenta sero in Medicinam affluxêre.

Sydenhamum prope subsecutus est Ricardus Morton, et nobis pene infinitam silvam rerum et sententiarum utilium atque inutilium reliquit. Sicut Sydenhamus, solâ suâ fretus observatione et acumine morborum lineamenta ob oculos nobis dilucide posuit, et veram medendi viam quasi digito commonstravit. Sed ut ille de malignâ aurâ et humorum despumatione, ita et hic de spirituum expansione et veneni progressu vana multa et commentitia tradidit.

Fuit minime quidem ad scribendum, sed eximie et unice ad agendum natus Radclivius, cujus nihil nobis traditum habemus præter facetias; quæ tamen adeo interdum prudentiam sapiunt ut potius jucunde philosophari videatur quam jocari. Illum autem haud mediocrem hominem fuisse cito judicamus, qui arte, ingenio, ipsis quoque dictis celeberrimus erat eâ ætate, quæ, quamvis merito minus quam magnifice nomen Augusti usurpaverit, tamen nec claris viris caruit nec bonis artibus.

An illum fortunatum credimus quod affluebat divitiis? Credimus profecto; non ita tamen, ut vulgus existimat (quasi esset feliciter exercitatus in conquirendis divitiis), sed propter nobiliores usus in quos eæ sunt conquisitæ. Nullos liberos habuit aut reliquit; sed artem suam quasi sibi filiam adoptavit et quasi hæredem egregie locupletavit.

Huic ejusdem ætatis annumerandi sunt duo, summi homines, Johannes Freind et Ricardus Mead; quorum utriusque laus, plene et cumulate data ab æqualibus, satis ambobus in posteritatem redundavit : hic tum medicinæ cum omnium liberalium artium et cultor, et judex, et hortator, et patronus; cujus domus quasi ludus quidam patuit atque officina philosophandi : ille, cum solum se medicum profiteretur, omni simul imbutus philosophiâ, et antiquitatem redolens et Athenas.

Haud profecto vellem magnam illis opinionem conciliare quasi artem suam inventis compluribus locu-Scripserunt tamen opportunissime suis pletassent. temporibus, nec infructuose nostris. Operam dedere monitu et exemplo, ut medicos tum prave et perperam ratiocinantes et superfluentes intolerabili quâdam opinandi licentiâ reprimerent.

Ambo fuerunt simplicitatis amantissimi. Et ita

C

sedulo Freindius morbis invigilavit et curationibus, ut multorum remediorum, quæ hodie usitatissima sunt, vim omnem probaverit, et intellexerit, et fideliter docuerit. Præterea jam tum suspectam habuit ipsam medicæ supellectilis copiam, ne aliquando arti officeret ; præcepitque longe aliud esse in materiâ medicâ versari, aliud mederi. Quam in opinionem eo magis indies adducimur, quo nunc meliorem patitur disciplinam medendi ars, et remediorum usus exquisitiore trutinâ examinantur. Proculdubio quo diutius et felicius est quisque inter morbos et remedia versatus, eo solet minus multa dare medicamenta et minus multos habere medendi indices. Quare etsi pharmacopœia generalis medicorum est magna et copiosa, sua uniuscujusque medici pharmacopœia, quam parva, quam brevis !

Hæc nimirum, Auditores, forsan putabitis ab instituto sermone esse diversa; idcirco tamen proferuntur, ne inter laudes artificum prorsus videar non curare artem.

Progrediente tempore, ægre pati videbantur medici inventam a Verulamo, et probatam et commendatam ab Harveio methodum tarde et pedetentim nimis profecisse in causis morborum exquirendis. Optabant potius naturam antecedendo præripere quam sectando et indagando consequi. Illis erant vel usui vel in pretio nulla experimenta, nullæ inductiones, nulla philosophia, sed prava philosophiæ imitatrix opinatio. Existimabant profecto se multas res subtilitate quâdam opinandi attigisse, quæ solis attingantur experimentis; et causas morborum se jampridem cognovisse, et potuisse alios docere, quas scientiæ novæ et nondum inventæ posterius in lucem prolaturæ erant.

Darvino inerat varium, et subtile, et multiplex ingenium. Quid? quod ille non tam philosophari videtur, quam suis oblectari inter somniandum imaginibus? Si non medicus fuisset, esset poeta; si non poeta, medicus. Medicinam quandam sibi fingebat mire fabulosam; et fabricabat poemata physica, physiologica, inepte didactica. Desperandum est igitur, ne quis unquam fuerit sacerdos utriusque Apollinis, vel sacrorum secretorumque in utroque genere verus interpres.

Quid est (quod vocant) spasmus exilium vasorum, quid nervorum debilitas? Res admodum eximiæ et mirabiles! quas *posse* nemo negaverit, quas *esse* nemo hucusque pro comperto habuit. Has tamen Cullenus inveniebat, quasi duas portarum claves, quibus recludi et prospici possent vera elementa, et omne opus mirabile et ipsa etiam officina naturæ, in morbis fere omnibus elaborandis. Erat tamen in Culleno summa virtus, summum ingenium, et, opportunitate loci et officii, summa auctoritas. Nam munere professoris potitus, et quibus academia Edinensis tunc affluebat eruditissimis

c 2

viris, omnium celeberrimus, et in loquendo et in scribendo tam speciosam veritatis similitudinem præ se ferebat, ut cupide audiretur et legeretur, et audientium et legentium penitus in mentibus inhæresceret. Ergo omnis undique consentiens multitudo et vulgus medicorum statim judicabat nihil præstantius, nihil absolutius Pathologiâ Culleni, cogitabatque omne quod reperiri posset jam a Culleno esse repertum, et naturæ vestigia nec premi nec indagari posse ulterius.

Confitendum est tamen aliquando Cullenum fuisse auspicato dissimilem sibi. Alium cum adhibenda essent remedia, alium cum causæ essent exquirendæ, facile discernes. Res pene dissociabiles poterat conjungere, summam observandi prudentiam et summam opinandi temeritatem. Quare ejus est difficilis laus, difficilior reprehensio. Observando medicinam auxit et provexit, opinando minuit et retardavit.

Omnibus qui illâ et superiore ætate inclaruerunt Heberdenum anteponendum puto. Quippe qui vel majorum vel æqualium, quotquot principes inter medicos perhibentur, plenus virtutibus, omnino fuit expers vitiis.

In illo ejus aureolo libello (quem quis vestrum non studiose lectitavit), quicquid de morbis et remediis vel obtulerit fors, vel docuerit patiens veri inquisitio, quicquid castigaverit ingenium sagax vel confirmaverit usus multiplex et experientia, id omne religiose coacervatum, et quasi ærario conditum, habetis.

Forsitan et jure mirari liceat de Heberdeno, quare, cum sua ætas tam vehementer faveret *opinatoribus*, ne omnino ipse unquam *opinaretur*; quare pervulgatam penitus sileret Theoriam Culleni; et quare nullis Darvini illaquearetur illecebris Ille profecto mentem prius severioribus studiis exercitaverat, dein ad medicinam traduxerat; et quam in academiâ sibi mature disciplinam adhibuisset, eandem semper quasi regulam habuerat quâ vera a falsis dijudicaret, et quâ, declinatis in quibus alii periclitabantur ambagibus, suam tutus instaret et prosequeretur viam.

Is itaque nobis in loco esse debet magistri et hortatoris, ut caveamus ne unquam subtilius philosophemur quam perpeti possit ipsa res, et ne præ nimiâ opinione sapientiæ in stultitiam incidamus.

Talis fuit Heberdenus, vir (ut accepimus), "singularis virtutis modestiæque." Audivi equidem esse similem patri quem nunc habemus et admiramur Heberdenum alterum.

Tertium profecto habuimus quem nobis fata tantum ostenderunt. Memini illum adolescentem. Memini quanta in ejus moribus comitas inesset, quanta in vultu pulcritudo. Studiis illum optimis deditum omnes lubenter vidimus, et eo lubentius quod Heberdeni nepos et Heberdeni filius fuit. Speravimus insuper quem patriis virtutibus tinctum novimus, et patrio instituto eductum, decori fore aliquando huic nostro collegio et reipublicæ. Heu! spem nequicquam dulcem atque fallacem! Anatomiam enixe prosequens casu vulnus accepit, et cum vulnere mortiferum virus.

Ejusdem vel supparis ævi fuit Heberdeno Georgius Baker. Sicut ætate ita ingeniis nihil, aut non fere multum, distabant. Nec facile dixerim uter eorum plus studii ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuerit, aut inde plus frugis obtinuerit. Ambo de industriâ sunt subsecuti et admirati antiquitatem, veterum medicorum ultimi, et ipsi pares principibus.

Inter Bakerum et Heberdenum hoc tamen interfuit. Hic populariter scripsit, ille limatius; multa hic solute tractavit et libere, ille pauca tetigit sed ornatius.

Multi interea vixerunt virtute et ingenio præstabiles, qui quamvis nec inventis nec feliciore cultu artem suam locupletaverint, tamen, cum medici essent, id effecerunt, ut pro suâ dignitate ipsi medicinæ data fuerit major existimatio. In eorum numero duos præcipue dignos judico qui memorentur, ætatibus disjunctos, ingenio dissimiles, moribus diversos, ambos tamen de humano genere optime meritos, et a vobis, quoniam vestri fuerunt, pariter cohonestandos.

De altero eorum, qui patrium sermonem ditavit, et solutis verbis fere primus adjunxit numeros et concinnitatem, utinam sane, quoniam hodie Latine loquimur, sui ipsius nomen numerosius esset et concinnius. Ne tamen inique sileamus Thomam Browne, summum virum et prope singularem. Dubito, an illi unquam fuerit alius omnino similis: recentiorum certe nemo fuit. Ab illo tamen possumus aliquantulum intelligere quales fuerint qui sanctissimi et sapientissimi habentur veterum philosophorum. Ita illi unice placebat suâ frui virtute, et suis uti contemplationibus quodam quasi mentis pabulo, et ita prorsus non curare quæcunque vel bona vel mala venirent foris, ut ne quidem unquam suspicari liceret ejus scripta legentibus, quod inter civiles motus et in miserrimâ fortunâ reipublicæ vixisset. Eo usque erat memor præteritæ ætatis, ut esset oblitus suæ ; et futura tam cupide prospiciebat et expectabat, ut vita ipsa, dum vivebat, ei esset quasi prælibatio immortalitatis.

In Pseudodoxiâ Epidemicâ ipsum hominem quasi introspicere videmur atque discernere, qualis esset et quo uteretur prope unico ingenio. In Religione Medici ample illum et sublate eloquentem admiramur, atque, etsi non erat orator, more et sermone usum oratorio; novis sententiis, novis etiam verbis abundantem, aptis tamen et nitidis et ardentibus, quæ in eo fuerunt nimium luxuriantis ingenii indicia simul et deliciæ.

Erat alteri mens (alterum enim intelligo Johannem Arbuthnot) omnium scientiarum capax, et leporum scaturiens quasi fons. Nemo erat tam doctus qui non illum doctiorem, nemo artium tam peritus qui non illum peritiorem ultro confiteretur. Plane redundabat doctrinâ, cujus ubertatem solebat etiam in colloquiis profundere ; et nunquam accuratius aut eruditius disputare videbatur quam inter jocandum, nunquam magis esse philosophus quam in philosophis irridendis Summi poetæ et literatissimi homines illum socium habebant et adjutorem operum ; et nonnulli pro meritis (sic posteris placuit) numero, quod aiunt, nunc ascripti immortalium aliquam partem suæ immortalitatis illi debuerunt.

Defuerat hucusque medicinæ aliquis, qui vel ipsum vitæ principium simplex atque unicum detegere, vel saltem posset leges quasdam animantium proprias indicare, unde fieret certior cognitio de quibus conditionibus recte exactis pendent vita et valetudo, et quibus depravatis morbi oriuntur et consequitur mors. Num talem fuisse Hunterum confitebimur ?

Fuit ille nullis doctrinæ præsidiis sed ipså naturå, quantum fieri possit, ad philosophandum paratus. Maxima complectens, minima intuens, se penitus insinuavit in naturam: cœlo, mari, terrâ evocavit omnium animantium genera, e quibus introspectis et investigatis materiem pene infinitam ad rerum eatenus occultarum cognitionem attulit. Ingenio, labore, vigiliis, opum et voluptatum et salutis jacturâ, variis usus adminiculis quotquot suppeditari possent ab artibus, et principiis confisus quotquot rata et stabilita essent scientiis, magnum suum instituit et prosecutus est opus; quod indies adauxit, indies in majorem varietatem et amplitudinem evexit, et reliquit denique naturæ fere ipsius adæquatum magnitudine.

Nimirum ex infinitâ illâ rerum copiâ quas excogitavit et invenit, nihil inutile, nihil supervacaneum putavit, quo facilius morborum investigationem persequeretur; præcepitque neminem posse satis instructum accedere ad pathologiam, nisi qui prius intelligeret quid sanitas sit; neminem esse aptiorem ad physiologiam, quam qui sedulo invigilaret morbis et morborum curationibus: quippe nihil aliud esse morbum quam abnornem sanitatem; ambos iisdem instrumentis confici, ambos iisdem mutuo inter se posse illustrari principiis; sanitatem posse interpretari morbos, et morbos sanitatem.

Nolite existimare me intempestive immorantem memoriâ, aut nimis abundantem laudibus, tanti viri; quem, quamvis non vester fuit, tamen vestri omnes, quibus contigit vel recte sentire vel insigniter profecisse in interpretandâ naturâ, ducem, magistrum, principem sequi voluerunt. Præterea habuit cum vestro Harveio consimile quoddam vel æquale ingenium. Utri eorum primas concesseris facile dubites ; sed ne minime quidem licet dubitare, quin hodie stet medicina horum Duumvirorum institutis servandis et quasi vestigiis insequendis.

Ad nostram ætatem jam tandem pervenimus. Et quamvis de iis qui nunc sunt nihil velim ipse dicere, et me dicentem, si quid vellem, vos non lubenter audiretis, eorum tamen qui nuper mortui sunt non omnes prætereundos arbitror.

In hâc solenni laudatione parum oblivisci licet Gulielmi Babington, quem senescere videbamus nova indies addiscentem et novis opinionibus indulgentem ; aut Gulielmi Georgii Maton, cui cordi et oblectamento erat naturam colere, et quem suis alliciebat deliciis quicquid arborei fructus vel herbarei, quicquid floriferi fœtus natura usquam peperit. Illum profecto novistis ipsi ingenue amabilem, factum tamen amabiliorem suis quibus assuescebat studiis.

Eheu! quem nimium diu absentem ab oculis vestris sperâstis tamen rediturum, quemque hodie salutâsse multo malle debetis quam me oratorem vestrum, et loquentem audivisse docte (ut solebat) et lepide; eheu! nuperrime abrepti incurro in memoriam et desiderium Gulielmi Macmichael. Habuistis eum vestrarum rerum et annalium auctorem religiosissimum. Quare quemadmodum erga majores sibi non defuit pietas sua, erga illum vobis unquam non deerit vestra.

Nulla ætas plures medicos probabiles atque probatos habuit quam hæc nostra. Nulla ætas plura et nobiliora protulit medicinæ incrementa. Jam demum pathologia formam induit veræ philosophiæ, et locum sibi vindicat inter scientias. Summo apud nos in honore est Anatomia. Chemia novam est adepta provinciam. Illa ad explicandas morborum sedes et naturas auxilii plus indies subministrat. Hæc, tum animalem materiam experimentis feliciter tractando, multorum morborum semina atque elementa apertius docuit, cum vegetalium principia analytice demonstrando et educendo, nobis in manus tradidit nova et certiora remedia. Nec mediocriter id Chemiæ laudi est, quod ejus ope et adjumento morbi et melius intelligi possint et citius sanari.

Chemia vero et Anatomia non nisi cum vili et jam mortuo corpore continuo versantur. Sed neque his neque ullis hujusmodi adminiculis debita est illa, quam nunc habemus et quâ utimur, facultas, ægro jam vivo et superstite, tam explorate perscrutandi morbos intrinsecus latentes, et tam exquisite adhibendi remedia.

D 2

Haud sane mirabile est nos posse novas res percipere, quibus nova quædam percipiendi aperta et patefacta est via. Sed multo mirabilius est nos tam sero intellexisse, plurima, quæ cæteros sensus fugiunt, posse tamen ab auditu et deprehendi et intelligi.

Necesse est, quæque res suæ facultati subjiciatur; et, servatâ hac lege et conditione, nec melior nec certior cognoscendi et dignoscendi potestas in visu inest quam in auditu. Præterea usu et exercitatione quasi erudiendi sunt sensus; tactus sic ad tangendum, et visus fit ad videndum aptior. Et quo magis assidue auscultemus, eo ad omnia, quæ in animum per aures ingrediuntur, fieri possumus instructiores.

Hæc est illa auscultandi ars, quæ in morbis (atque iis præcipue de quibus in summâ opinionum pravitate ante versati sumus) dignoscendis scientiam, curandis peritiam dedit. Nam eâ scilicet exercitatione quam postulabat tanta res, et experimentis medicorum pene innumerabilibus inter se comparatis, adeo provecti sumus, ut quâ pulsum arteriarum tactu, quâ linguam visu exploravimus, eâdem jam tandem possimus fiduciâ et cor et pulmones explorare auditu.

Neque vero eadem ista ars, quam a naturâ accepimus, philosophiâ comprobavimus, et usu indies perfectiorem reddidimus, nos tantum edocuit quo modo morbi cordis et pulmonum vel melius dignosci vel melius tractari queant remediis, quin et præterea ipsam physiologiam auxit, pathologiam mirifice amplificavit.

Cogitanti mihi sæpenumero, et memoriâ hodie repetenti medicorum fortunas tum veterum cum vivorum et præsentium, mirum videri solet, artem vestram, quâ in exercendâ de hominum vitâ et sanguine agitur, et quam ad excolendam omnes omnium bonarum rerum disciplinæ conveniunt, curâ omnino carere reipublicæ et patrocinio.

Medicinæ fere nulla sunt exposita præmia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Illa etiam quæ in liberis civitatibus omnium est quasi altrix et hortatrix, vos nec fovet nec vix attingit unquam, popularis aura. Illa Forum animat, erigit, nobilitat; Senatum convocat, eloquio et consiliis inspirat, et ad maxima et præclara rapit, allicit; ipsi etiam Ecclesiæ afflat suas blanditias. Quare evenit ut Forum, Senatus, Ecclesia suo jure quodammodo videantur sibi publicos honores vindicare.

Nec magnopere dolemus quod his frui nobis non licet, aut alienæ invidemus gloriæ modo nostra sit incolumis. Nec profecto de Medicinâ ideo detractum aliquid putamus, sed potius illam oportere haud immerito exinde superbiam sumere, quod longe aliûs est ingenii atque indolis, quam quæ vel plausu populi vel principum patrocinio augeri possit et promoveri. Nimirum si qui sint inter medicos (et profecto semper fuerunt) qui labores et ingenia, qui vim et valetudinem, qui spes omnes et vitam ipsam indies impendunt in colendis et inveniendis scientiis et in exquirenda et interpretandâ naturâ, et quorum studia præcipue sunt emolumento humano generi, illos sacro-sanctæ Veritatis magistris et divina ministrantibus tantum non adæquandos duco.

Quare cavete, ne populari famæ morigeremini quæ medicinam nunquam non corrupit et dehonestavit; et potius paucorum et bene judicantium vocem concupiscite, quæ "virtuti resonat tanquam imago." Vobis cordi et curæ sit invigilare scientiis. Non possunt omnes esse repertores scientiarum; possunt tamen repertis salutariter uti et consulere humano generi. Evolvite Annales vestros. Bonorum omnium memoriam colite et custodite. Quos imitari possitis imitamini; et quos propter exsuperantiam ingenii et virtutum alte evectos, et quasi in præcelsâ turre collocatos, vix suspicere et prorsus non assequi possitis, vobis licet tamen admirari, et eorum famam paulum gloriosius prædicare.

Nam vestri fuerunt qui se commendaverunt patriæ, et patriam toti terrarum orbi. Illa quidem terris definitum imperium, imperio conterminum decus jam jam est adepta; tantum armis, tantum potuit consiliis; longe tamen aliam et perenniorem, et vel imperio superstitem gloriam consecuta, quod Newtoni, quod Verulami, quod Harveii patria fuit, quod Philosophiæ lumen, quod sacro-sanctæ Veritatis, et arx, et domicilium.

FINIS.

longe tamen flam et perenniorem, et vol fumerio superstitem glorium consecuta, quod Neirieni, quod Veruliuni, e nod Raiveii patria fait, enod Philosophiae Iumeu, quod sacro-sancte Veritatis, et arz, et domicilium.

> LONDINI: Excudit A. Spottiswoode, New-Street-Square.

